



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Judiciis Ecclesiasticis Ad Germaniæ Catholicæ
Principia Et Usum**

De iudiciis civilibus

Zech, Franz Xaver

Ingolstadii [u.a.], 1765

Titulus VII. De Procuratoribus. Locum exercendarum litium designat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68163](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68163)

Palmarium ratione victoriæ licet accipere : exigi non potest, ubi Advocati jurant, se nihil exacturos ultra consuetum Salarium.

TITULUS VII.

DE PROCURATORIBUS

Conf. Lib. I. Decretal. tit. 28 § 29. In Sext. tit. 19. in Clement. tit. 10.

§. 72.

Post Advocatos, qui litigantibus *Procura-* adstant, considerandi veniunt *tor Judi-* illi, qui alieno nomine agunt, scilicet *cialis ali-* cet Procuratores & Syndici. *Procu-* *ena nego-* *rator dicitur,* qui aliena negotia man- *tia admi-* *dato Domini administrat. De Extra* *nistrat* *judicialibus diximus quædam (de Jur.* *rer. Eccles. Sect. 4. tit. 7. de Mandat.).* In multis tribunalibus iidem Advocatorum & Procuratorum munus simul gerunt. De jure communi quidem Advocatus dignitatem obtinet; & Procuratio censetur vilis & plus oneris, quam dignitatis habere : in Camera autem Imperiali nemo in numerum

F

Pro.

De Judicijs,

Procuratorum recipitur, qui non antea Advocatus Camerae fuerat; idque ideo, quoniam in Procuratore major peritia styli Cameralis, quam in Advocato requiritur: & Procurator Scripta Advocati adversus stylum Cameralem concepta corrigere, & totam causam juxta istum stylum instruere tenetur 37.).

Nomine §. 73. Constitui Procurator litis
Actoris alienae potest ab utroque litigante,
vel Rei; tam Actore quam Reo; cum Mandato generali, vel speciali; potestate libera, vel limitata; ad totam causam, vel partem illius. Quando causam Rei agit, *Defensor* dicitur: *Syndicus* autem, qui a tota Universitate, vel majore illius parte constituitur, qui tamen non est Procurator singulorum: in Jure Canonico, quod diversitatem vocabulorum non scrupulose observat, vocatur etiam Procurator Universitatis 38.): proprie loquendo hoc nomine vocatur, qui ad unam tantum, alteramve, aut certas aliquas causas constituitur; *Syndicus*

37.) D. JACOB. BLUMEN Process. Camer. tit. 10. Conc. ord. Cam. p. 1. tit. 31. §. 3.
 38.) C. 7. de Procurat.

'dicus autem, qui ad omnes præsen-
tes & futuras Universitatis causas Ci-
viles datus est. Procurator Fisci seu
Fiscalis est, qui Causas Criminales,
mulctas & pœnas Universitati, vel
Principi debitas persequitur.

§. 74. Constitutio Procuratoris est *Constitui-*
necessaria, vel libera. *Necessaria* est, *tur neces-*
quæ lege litigantibus injungitur, *scisario vel*
licet Personis Illustribus, *potentiori-*
libere ;
bus, feminis, minoribus XXV. annis,
impeditis venire & comparere, mili-
tibus in propria causa, omnibus, qui
personam standi in judicio non ha-
bent. *Libera* Procuratoris constitu-
tio est quævis alia concessa ; vel ex-
pressa per Mandatum expressum, vel
tacita ex Mandato præsumpto, quod
habere præsumuntur personæ conjun-
ctæ inter se, ut parentes & liberi,
maritus & uxor, Magistratus & sub-
ditus, consortes litis : omnes quoque
de rato caventes ante litem contesta-
tam, admittuntur pro Reo absente,
quamvis Mandatum non habeant,
quia publice interest, absentes, etiam
ignorantes, per quemcunque defen-
di, ne ignari patiantur damnum. In
quibusdam Causis *speciale* expressum
Mandatum requiritur, uti est Causa

Restitutionis in integrum, causa iuramenti præstandi in animam alterius, compromissi faciendi, transactionis ineundæ, prorogandæ Jurisdictionis, Causa criminalis, pœnalis, ad contrahendum Matrimonium (*De Jure Rer. Eccl. Sect. 2. §. 296.*); ad renuntiationem beneficiorum, aliorumque Jurium; ad faciendam Præsentationem. In quibusdam Causis non admittitur Procurator, *Civilibus* quidem, ut in Causa Status, in Causis Popularibus, in Actibus legitimis, in Causa Tutorum, Curatorum vel Syndici, ante litem contestatam. In *Criminalibus*, in quibus pœna mortis naturalis vel civilis imponitur, nisi quis nomine Rei, innocentia vel absentia causas proponere vellet.

*An a Præ-
lato sine
consensu
Capituli?*

§. 75. Prælati ad lites super Ecclesiæ rebus & Juribus prosequendas Procuratorem, etiam Laicum constituere valet sine consensu Capituli in causis non valde arduis; quia in his potest Prælati absque consensu Capituli, in iudicio ob liberam & generalem administrationem per se agere, proin etiam per alium. Consensus autem Capituli vel Conventus requiritur in Causis magni momenti;

fi

si constituendus sit Procurator generalis & perpetuus: aut si in Judicium deducantur Bona Capituli, omnino etiam quoad administrationem diversa a Bonis Prælati.

§. 76. Disputatur sæpe, an præsumatur ex voluntate & Mandato principalis in Judicio comparere, qui producit documenta ad rem pertinentia, & in quibus causa litigiosa fundata est. Ex una parte quando certum est ei, qui se pro Procuratore gerit, negotium mandatum esse, tunc nullam tenetur Procurator præstare cautionem de rato 39.) : ex altera parte quando constat, nullum esse mandatum, tunc Procurator Actoris ne quidem cum cautione de rato admittendus est. Sed quando dubium est, & pro Procuratore præsumptiones quædam militent, tunc ille defectus supplendus est cautione de rato. Sic præsumitur Mandatum ex conjunctione personæ 40.), ut supra dictum; si tamen id non sit certum, defectus hic suppletur per cautionem de rato. Quæritur itaque, an similem Præsumptionem

39.) §. 3. Inst. de Satisfat.

40.) L. 21. C. de Procurator.

ptionem pro se habeat, qui in manibus tenet, & in Judicio producit documenta ad causam litigiosam pertinentia? Affirmative respondendum videtur, oriri scilicet ex possessione documentorum tantam Mandati Præsumptionem, ut quis possit admitti ad agendum, modo præstet cautionem de rato. Sic INNOCENTIUS III. 41.) eum, qui cum Instrumentis Ecclesiæ, sed absque literis de ratihabitione ad Apostolicam Sedem accesserat, sed de rato caverat, sub fidejussoria cautione admisit ad agendum. Idem in Camera Imperiali fieri solet 42.) Facile accedimus LAUTERBACHIO 43.) dicenti, quod exhibitio Instrumentorum non faciat sufficientem præsumptionem pro legitimatione *Procuratoris*
in

41.) C. 34. de Offic. & pot. Jud. deleg. Vid. SIGISM. SCACCIA De Judiciis Caus. lib. 1. C. 101. ubi n. 38. conclusionem limitat, quando ageretur ad executionem pecuniarum, quia tunc debet plene constare de Mandato.

42.) Juxta ord. Cam. p. 1. tit. 27. §. 2. & Conc. ord. Cam. p. 1. tit. 33. §. 1.

43.) Differt. Academ. Vol. 3. Disp. 120. De Procuratore in rem suam. thes. 41.

in rem suam: hic enim deberet demonstrare actionis cessionem legitime factam, ad quod duo requiruntur, nimirum actionis Mandatum, & simul titulus sive justa causa, ex qua voluntas cedentis colligitur: ad utrumque hoc probandum non sufficit, produci obligationis Instrumentum: quamvis enim in hoc promittatur solutio cuiusvis harum Literarum exhibitori; nihilominus talis exhibitor non statim præsumitur Procurator *in rem suam*, nisi ostenderit pro eis obtentis titulum justum & habilem ad transferendum dominium 44.).

§. 77. Porro ne dicatur Procurator *Quale defalsus*, non sufficit qualecunque Mandatum; sed hoc debet esse *concedatum* in forma a Jure & juxta stylum *mandati* cuiuscunque Curie requisita. Ponitur nomen constituentis, Procuratoris constituti; Actoris, contra quem; Judicis apud quem agendum: qualitas causæ demandatæ, dies & annus constitutionis &c. In majoribus Tribunalibus

44.) Hanc doctrinam Lauterbachii de Procuratore *in rem suam*, male contra priorem assertionem de Procuratore *causæ alienæ* allegat LEYSERUS Vol. 1. spec. 53. thes. 3.

bunalibus habentur formulæ typis impressæ, & non admittuntur Procuratores, nisi juxta eas formulas constituti. Inserta his formulis semper deprehenditur potestas substituendi, quod intelligitur circa ea negotia, quæ non requirunt speciale Mandatum, aut ex quorum natura non præsumitur electa esse industria personæ. Mandatum autem non debet esse revocatum, vel alio modo extinctum. Defectus Mandati suppletur per Ratihibitionem, quæ tamen effectum hunc non habebit, si fieret post causam jam decisam pro eo, cujus nomine Procurator egit absque Mandato.

*Officium
Procuratoris,*

§. 78. Officium Procuratoris ex natura sua gratuitum esse debet, cum sit species quædam Mandati. Si pactio de mercede interveniat, ejusmodi Procurator potius Locator est operæ suæ. Nihilominus si pactio non præcessit, præstito officio, Procurator Salarium remunerationis loco petere potest & accipere. Officium & potestas Procuratoris maxime ex Mandato pendet, cujus fines accurate observandi sunt. Si dolo, vel culpa etiam levissima damnum intulit, vel interesse domini non bene curavit, illa-

De Procuratoribus. 29

illatum damnum & interesse propter tacite promissam industriam exactissimam compensare tenetur. Si Procurator solvendo non sit, domino concedenda est Restitutio in integrum.

§. 79. Officium & potestas Procuratoris exspirat I. mutuo consensu domini constituentis & Procuratoris constituti. II. Revocatione Mandati, Procuratori insinuata. III. Exoneratione ipsius Procuratoris renuntiantis Mandato. IV. Mutatione Procuratoris. V. Finita Instantia Judicii, scilicet lata sententia definitiva. Appellationem quidem interponere debet Procurator, ne sententia in rem judicatam transeat; invitus tamen non cogitur eam prosequi. VI. Morte constituentis, nisi quis constituerit pro se & hæredibus suis: quod non potest Prælatus Ecclesiæ, nisi id factum sit cum consensu Capituli. VII. Morte ipsius Procuratoris. VIII. Si ipse dominus eandem causam per se tractet, & sic tacite censeatur Procuratorem revocare: quod tamen non censetur intendere, qui constituit Procuratorem ad causam sub ea forma, quoties se abesse contigerit, licet

Quando exspiret?

F 5

in

in praesentia sua tractet causam per seipsum 45.)

TITULUS VIII.
DE FORO COMPETENTI.

Conf. Lib. II. Decretal. In Sext. & in
Clement. tit. 2. Item Lib. I. Decre-
tal. tit. 42.

§. 80.

Forum
compe-
tens ordi-
narium

JUXTA communem Juris Regulam
Actor debet sequi forum Rei: quo
nomine intelligitur locus exercenda-
rum litium, necessario ad eundem a li-
tigantibus. *Competens* dicitur, ubi Ju-
dex est, habens Jurisdictionem in
Reum & in Causam. *Incompetens*,
ubi Judex non habet Jurisdi-
ctionem vel in Reum, vel in Cau-
sam coram se disceptandam. Non nun-
quam Judex est absolute incompe-
tens, cui partes litigantes nec vo-
lentes se subicere possunt: non nun-
quam est ita incompetens, ut tamen
partes possint ei prorogare Jurisdi-
ctio-

45.) C. 8. de Procurat. in 6.